

## Beiband 2

H.I S. 31

1248.

124

Abt Konrad IV. von Helmarshausen befundet, daß sein Kloster gewisse Güter in Wichmanessen für das Hospital eingelöst habe.

Conradus Dei gratia Helmwardensis abbas huius nominis quartus omnibus huius scripti inspectoribus in perpetuum. Notum esse volumus universis Christi fidelibus presentibus et futuris, quod Bertoldus miles dictus de Brunessen quedam bona in Wichmanessen a patre Johannis et Sigenandi pro marca inpignoravit. Que mortuo patre idem filii sui repetere ceperunt et coram nobis sepius querimoniam de eisdem bonis contra militem deposuerunt. Qui tandem ad instantiam nostram inductus est, ut marcam suam reciperet et eisdem fratribus memorata bona relinqueret. Interim milite viam universe carnis ingresso uxor eius et filii predictam pecuniam requisierunt; quam quia predicti fratres Johannes et Sigenandus pre inopia dare non poterant, ipsa bona cum filiis suis et heredibus in manus nostras libera et absoluta resignaverunt, hoc pacto, ut eandem marcam ecclesia persolveret. Unde Hermanno, qui hospitalem domum tunc regebat, iniunximus, ut ipse eandem pecuniam persolveret, quia prius eidem domui eadem bona pertinebant, et ipsa domus ea in posterum ad usus pauperum in totum possideret. Huius rei testes sunt: Conradus camerarius, Hermannus cellararius, Hermannus hospitalarius, Reinboldus de Markessen, Johannis de Oldorpessen, Heinricus iudex, Conradus de Markessen milites, Conradus de Werthere, tunc dapifer in Sconenberg, Drutlewsus et alii multi. Actum dominice incarnationis M.CC.XLVIII. Et ut hec firma permaneant presens scriptum sigillo ecclesie nostre et viri nobilis domini Conradi de Sconenberg fecimus roborari.

Orig. Beide Siegel ab.

Bergl. zu dem Klosterbesitz von Helmarshausen in Wichmanessen Pfaff,  
S. 154.